

## EPILOGUS

Qui, opitulante Deo, longam satis operosamque hanc Pastoralem Summulam descriptimus, exactum iter haud frustra perlustravimus. — Dominicae vineae Pastoris quoad privatam eius personam ideam [quae in eius sanctitate, caritate, prudentia, iustitia ac scientia continetur] uti tractationis nostrae fundatum praestitentes, apprime exhibuimus. Eiusdem Pastoris, deinde, generalem ac peculiarem operam, quoad personas singulas in pastorali regimine rationem habentes [quo tum eius iura ac debita, tum eius circa ipsos relationes indigitavimus], fidi quantum potuimus ratione, tradidimus. — Ulterius vero procedentes, eius tum spiritualem, tum temporalem administrationem per partes delineavimus. — Perarduam sane rem, ad quam pro viribus conficiendam, nihil diligentiae et considerationis omisimus; siquidem probe eramus consci hac tractatione regimini pastorali veluti fundamenta praestituenda, ac tum generales, tum peculiares ad rem rationes definiendas esse, et talia quidem ac tanta, quae si utcumque nutarent, aedificium omne gravi ruinae subiiceretur. — Quare ut ipsa quae dedimus fideliter teneantur, in Dominio obsecramus; haec, enim, si salva fuerint, universi, profecto, regiminis pastoralis finis assequendus propositus, in omnibus facile tenebitur, qui in eo est ut iustitia et charitas coniunctos triumphos insimul semper agant, ex quibus quantum in animarum utilitatem et salutem redundet, ipsi earum germani Pastores, felici experientia, comperient. Tu vero qui legis intende et quae sequuntur diligenter et pie quantum potes; tales, enim, adiuvat Deus<sup>1</sup>, ac tale in sanctarum oviū regimine bonum adiumentumque Sancta Dei exoptat Ecclesia, cui, in aevo et in aeterno, Pastorum fideliumque laus insonet.

A. M. D. G.

<sup>1</sup> S. Augustin. *De Vera Religion.* cap. 10.

## DOCUMENTA

AC

PARADYGMATA<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Ob praxim in Romana Curia frequentatam, in qua petitionibus non assentitur nisi ab Episcopalibus Curiis oblatis ac commendatis, quorundam horum paradygmatum necessitas pro Pastoribus multo minuitur, quippe quae diocesanis Curiis iam perspecta sint. Attamen cum his saepissime nonnulla scitu utilia ad exarandas preces habeantur, et cum quaedam a nuperrimis decretis exigantur, et eas operi nostro apponere haud abs re duximus. — Ex his quae asterisco notantur, eadem formulae sunt quibus in praesenti SS. RR. Congreg. utuntur; eorum vero ordo ex tractationis illum desumpsimus.

DOCUMENTUM I

**Formula fidei eiusque pianum addimentum.**

[Cfr. pag. 209, n. 5].

Ego. N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta et Romana Ecclesia utitur, vide-licet: credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantiale Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et unam sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Con-fiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est judicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacraenta novae legis a Jesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria; scilicet, Baptismum, Con-

firmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et adprobatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosanta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistrum agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.

Caetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosanta Tridentina Synodo, et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integrum et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

## DE ADDITAMENTO

EX MANDATO PII F. R. IX

FACIENDO

FORMULAE PROFESSIONIS FIDEI

A PIO IV INIUNCTAE

## DECRETUM.

Quod a priscis Ecclesiae temporibus semper fuit in more, ut christifidelibus certa proponeretur ac determinata formula qua fidem profiterentur, atque invalescentes cuiusque aetatis haereses solemniter detestarentur, id ipsum, sacrosanta Tridentina Synodo feliciter absoluta, sapienter praestitit Summus Pontifex Pius IV, qui Tridentinorum Patrum decreta incunctanter exequi properans, edita idibus Novembbris 1564 Constitutione *Iniunctum Nobis*, formam concinnavit Professionis Fidei recitandam ab iis qui cathedralibus et superioribus Ecclesiis praeficiendi forent, quive illarum dignitates, canonicatus aliaque beneficia ecclesiastica quaecumque curam animarum habentia essent consecuturi, et ab omnibus aliis, ad quos ex decretis ipsius Concilii spectat: nec non ab iis, quos de monasteriis, conventibus, domibus et aliis quibuscumque locis regularium quorumcumque ordinum, etiam militarium, quocumque nomine vel titulo provideri coegerent. Quod, et alia Constitutione edita eodem die et anno incipien. In sacrosanta, salubriter praeterea extendit ad omnes doctores, magistros, regentes vel alios cuiuscumque artis et facultatis professores, sive clericos, sive laicos, vel cuiusvis ordinis regularis quibuslibet in locis publice vel privatim quoquomodo profitentes, seu lectiones alias habentes vel exercentes, ac tandem ad ipsos huiusmodi gradibus decorandos.

Iam vero, cum postmodum coadunatum fuerit sacrosanctum Concilium Vaticanum, et ante eius suspensionem per Litteras Apostolicas *Postquam Dei munere diei 20 Octobris 1870* indictam, binae ab eodem solemniter promulgatae sint dogmaticae Constitutiones, prima scilicet de Fide Catholica, quae incipit *Dei Filius*, et altera de Ecclesia Christi, quae incipit *Pastor aeternus*, non solum opportunum, sed etiam necessarium dijudicatum est, ut in fidei professione dogmaticis quoque praememorati Vaticani Concilii definitionibus, prout corde, ita et ore publica solemnisque fieri deberet adhaesio. Quapropter SS. mus D. N. Pius Papa IX, exquisito ea desuper re voto specialis Congregationis

Em. rum S. R. E. Patrum Cardinalium, statuit, praecepit atque mandavit, ceu per praesens decretum praecepit ac mandat, ut in praecitata Piana formula Professioni Fidei, post verba *praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo*, dicatur et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio, utque in posterum fidei professio ab omnibus, qui eam emittere tenentur, sic et non aliter emittatur, sub comminationibus ac poenis a Concilio Tridentino et a supradictis Constitutionibus s. m. Pii IV statutis. Id, igitur, ubique et ab omnibus ad quos spectat, diligenter ac fideliter obseruentur, non obstantibus ect.

« Datum Romae e Secretaria S. Congregationis Concilii die 20 Ianuarii 1877.

« P. CARD. CATERINI *Praefectus*.

« I. ARCHIEP. ANCYRANUS *Secretarius* ».

#### DOCUMENTUM II

#### Iusiuranda a Parocho emittenda.

a) Formula iusiurandi antimodernistici Motu proprio « *Sacrorum Antistitum* »

[1 sept. 1910].

[Cfr. pag. 209, n. 168]

Ego.

firmiter amplector ac recipio omnia et singula quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita, quae huius temporis erroribus directo adversantur. Ac primum quidem: Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per *visibilia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor. Secundo: Externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortae christiana Religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam

huius temporis, intelligentiae esse maxime accommodata. Tertio: Firma pariter fide, credo Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistrum, per ipsum verum atque historicum Christum, quem apud nos degeret, proxime ac directo institutam, eandemque super Petrum, apostolicae hyerarchiae principem eiusque in aevum successores aedificatam. Quarto: Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio; ideoque prorsus reiicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo quem prius habuit Ecclesia; pariterque damno errorem omnem quo, divino deposito Christi Sponsae tradito ab Eaque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanae conscientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefinito progressu perficiendae. Quinto: Certissime teneo ac sincere profiteor: Fidem non esse coecum sensum religionis e latebris *subconscientiae* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali, Creatore ac Domino Nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

Me etiam, qua par est reverentia, subiocio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus quae in Encyclicis litteris « *Pascendi* »<sup>1</sup> et in Decreto « *Lamentabili* »<sup>2</sup> continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant — Idem reprobo errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum veterioribus christiana Religionis originibus componi non posse. — Damno quoque ac reiicio eorum sententiam, qui dicunt, christianum hominem eruditorem induere personam duplum, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere quae credentis fidei contradicant, aut praemissas adstruere, ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa, aut dubia, modo haec directo non denegentur. — Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia Fidei, et Apostolicae Sedis normis posse habitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticien textus velut unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur. — Sententiam praeterea illorum reiicio qui tenent, doctori disciplinae historicae theologicae tradendae, aut iis de rebus scribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali

<sup>1</sup> Septembr. 1907, cfr. docum. XXXIX.

<sup>2</sup> III Iulii 1907, cfr. docum. XXXIX.

origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicij libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari. — In universum, denique, me alienissimum ab errore profiteor, quo *modernistae* tenent in sacra traditione nihil inesse divini; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt, ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiae factis aequandum; hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque apostolis inchoatam per subsequentes aetates continuant. Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo, de charismate *veritatis certo*, quod est, fuit eritque semper in *episcopatus ab Apostolis successione*<sup>1</sup>; non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut *nunquam aliter credatur, nunquam aliter* intelligatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per apostolos praedicata<sup>2</sup>.

Haec omnia spondeo me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo, sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus etc.».

b) **Formula iuriurandi a Parochis consultoribus, coeterisque examinatoribus**

[ex decreto *Maxima cura*] emittendi, juxta nuperrimum

S. C. Consist. decretum [15 febr. 1912<sup>3</sup>].

[Cfr. pag. 220, n. 173].

Ego N. N. examinator [vel Parochus consultor] synodalis [vel pro-synodal] voveo ac iuro munus et officium mihi demandatum, me fideliter quamcumque humana affectione posposita, et sincere, quantum in me est, executurum; secretum officii circa omnia quae ratione mei munieris noverim, et maxime circa documenta secreta, disceptationes in

<sup>1</sup> Iren., IV, c. 26.

<sup>2</sup> Praescr., c. 28.

<sup>3</sup> Tum examinatores synodales, quam Parochi consultores qui Episcopo sociantur in amotionis decreto [*Quam maxima cura*] ferendo, vel in eiusdem decreti re-

visione, singulis vicibus in prima sessione, sub poena nullitatis actorum, iuriurandum prout in formula heic adjuncta, praestare tenentur. [S. C. Consist. loc. cit.].

consilio habitas, suffragium numerum et rationes religiose servaturum, nec quidquam prorsus occasione huius officii, etiam sub specie doni, oblatum, nec ante, nec post recepturus.

Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Evangelia quae meis manibus tango<sup>1</sup>.

DOCUMENTUM III

Summula reformationis Romanae Curiae

C. Sapienti consilio [29 jun. 1908] peractae<sup>2</sup>.

[Cfr. pag. 225, n. 182].

A C. Sapienti consilio Romana Curia ita constituta est:

- I. Congregatio S. Officii, cui preeest ipse S. Pontifex, quae:  
 1. tutatur doctrinam fidei et morum;  
 2. recipit denuntiationes exercetque iudicium de criminibus haeresis et eorum qui reum haereseos suspectum reddant;  
 3. agit universas causas indulgentiarum;  
 4. Quoad sacramenta tractat res quae doctrinam spectant, atque de coeteris eas quae respiciunt privilegium Paulinum, aut impedimenta matrimonii disparitatis cultus et mixtae religionis.

II. Congregatio Consistorialis:

1. providet [exceptis locis quae subsunt S. Congr. de Prop. F.] divisioni dioecesum, institutioni capitulorum cathedralium et collegiorum, electioni Episcoporum, Seminarii etc.;  
 2. agit ea quae regimen dioecesum spectant.  
 3. in conflictu iurium, decernit et solvit dubia circa competentiam diversarum Congregationum.

- III. Congregatio de disciplina Sacramentorum cuius est, dispensationes matrimoniales in foro externo, sive pro divitibus, sive pro pauperibus, similiter sanatio in radice, quaestiones de validitate matrimonii aut ordinationis, dispensationes quoad susceptionem aut exercitium ordinum, dispensationes vel privilegia circa

<sup>1</sup> S. C. Consist. 15 febr. 1912.

<sup>2</sup> Cfr. Lehmkuhl, in Schneider, *Manuale Sacerdotum*, pag. 596.

S. Eucharistiam, Missae celebrationem etc. A causis sacramentalibus excipiuntur:

1. res doctrinales;
2. quoad matrimonium privilegium Paulinum, matrimonia mixta, et impedimentum disparitatis cultus;
3. ritus in sacramentis ministrandis et recipiendis servandi.

**IV. Congregatio Concilii** ea tractat quae ad universam disciplinam Cleri saecularis populi christiani referuntur: ad praecpta Ecclesiae eorumque relaxationem [exceptis iis quae Sacra spectant], quae ad parochos et canonicos attinent, ad pias Sodalitates et uniones, ad pia legata, stipendia Missarum, beneficia ecclesiastica, eccl. bona, celebrationem et recognitionem Conciliorum et similia etc.

**V. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita** [vel: *S. Congregatio de Religiosis*] sibi vindicat causas quae religiosos utriusque sexus, etiam quae viventes sine votis in communitate vitam religiosam, quae tertios ordines saeculares attinent; idque sive res agatur inter religiosos, sive inter eos et alios.

**VI. Congregatio de Prop. Fide** iurisdictionem exercet in regiones ubi ecclesiastica hyerarchia nondum constituta est, aut ubi constituta quidem est, at inchoatum aliquid prae se fert, et pro iis qui ei subsunt, locum tenet omnium Congregationum. Verum ipsa eas res quae ad fidem, aut ad matrimonium, sacrosve ritus pertinent, cum aliis *S. Congregationibus* communicare debet. — **Quoad religiosos** spectat qua missionarios, haec *S. Congregatio de Prop. Fide* iudicat; quod eos spectat qua religiosos, Congregatio religiosorum negotiis praeposita. *S. Congregatio de Pr. F.* unitam sibi habet Congregationem pro negotiis Rituum Orientalium, cui integra tamen iura sua manent. — Ei non amplius subiacent: Anglia, Scotia, Hibernia, Hollandia, dioecesis Luxemburgensis, Canada, Status Uniti Americae septent. Subiciuntur autem reliquae regiones quae ei subiectae erant, atque omnes Vicariatus Apost., Praefecture, Missiones quae hucusque Congregationi a Negotiis ecclesiasticis extraordinariis subseruant.

**VII. S. Congregatio Indicis** praeter officium consuetum, accipit etiam officium inquirendi, qua opportuniore licebit via, si quae in vulgo edantur scripta damnanda.

**VIII. Congregatio Sacrorum Rituum;**

**IX. Congregatio caeremonialis;**

**X. Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis;**

**XI. Congregatio studiorum:** quorum munera facile intelliguntur.

**XII. Praeter Congregationes** existunt, ut *Tribunalia*: a) *S. Poenitentiaria* pro solis rebus fori interni, etiam non sacramentalis. Verum pro dispensationibus matrimonialibus fori externi in forma pauperum, vel pro pauperibus recurrentum est ad *S. Congregationem* de disciplina Sacramentorum; b) *S. Rota Romana*, cui causae, sive matrimoniales, sive aliae, non maiores, si iudicialiter seu contentiouse tractantur, spectant. c) Res quae spectant ad *S. Officium*, si in foro interno tractanda sunt, ad *S. Poenitentiariam* [tectis seu fictis sub nominibus deferuntur, ut antea. d) Reliqua « *Officia* » quae vocantur praetermittere licebit, quia confessarius vel Parochus vix ad ea recursum habiturus est.

#### DOCUMENTUM IV

**Quando, juxta SS. D. N. Pii PP. X Constit.**

**Divino afflato,** [Kal. nov. 1911], **Defunctionum Missae prohibeantur**

[Cfr. pag. 296, n. 253].

I. **Missa Solemnis vel cum cantu die vel pro die obitus, aut depositionis, praesente, insepolto, vel etiam sepulto, non ultra biduum, cadavere, prohibetur:**

1. in Festis Nativit., Epiph., Pasch. Ascens., Pentecostes, SS. Trinit. et Corp. Chr., Imm. Conc., Annunt. et Assumpt. B. M. V., Nativ. S. Ioannis Bapt., Commem. et Solemn. S. Ioseph, Ss. App. Petri et Pauli, Omn. Ss., Patroni Loci, Dedicat., ac. Tit. Eccl.

2. ultimo triduo Maior. Hebd.;

3. durante exposit. sol. SS. Sacramenti;

4. diebus Dominicis ac Festivis, etiam suppressis, nec non diebus S. Marci et Rogationum, si fiat Processio, in Ecclesiis Parochialibus unam tantum Missam habentibus.

5. Si haec Missa praefatis diebus sit impedita, cantari potest pro prima tantum vice post obitum, vel eius acceptum nuntium, prima die libera a Festis duplicibus I. aut II. classis, et a Dominicis vel Festis de pracepto, etiam suppressis: prohibetur tamen:

a) in vigiliis Nativitatis et Pentecostes;